



# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exterbas gentes:

*In Gallia.* - Parigi, Lione.

*In Hispania.* - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

*In Helvetia.* - Lugano, Chiasso.

*In civitate libera Flumana.* - Fiume.

*In Aegypto.* - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

*In Turcarum imperio.* - Costantinopoli.

*In Asia minore.* Smirne, Adalia.

*In Syria.* - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

*In Palaestina.* - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

*In insula Melita.* - Malta.

*In Aegeo mari.* - Rodi.

 *Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.* 

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo<sup>d</sup> sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xylinæ structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

is aedibus

Borias Blancas,

uit Gamr, Tautah,  
a.

mariae sunt.

Sociis

a venum dantur,

lae ad latina col-  
is, *De valetudine*dium, Milesiae  
endis. – Singulæres. – Si tegu-  
ulo, lib. 4.

amatice. – Sin-

bulæ. – Lib. 1,50.

erit publici cursus  
ibus).

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15  
*ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

## PRO PUERIS IN RUSSIA DEGENTIBUS

Omnis plane noverunt quibus in angustiis veretur amplissima Russorum civitas. Quae tristissima rerum congeries! Sed verba sileant, ubi opera in primis sunt necessaria. Si parentes misera sors manet, infantes puerique miserrima. Hi enim, parentum inopia, fame tabescunt, et secus vias miserrime inedia labant, moriuntur. Sunt utique lacrimae rerum! Namque regio illa, quae quondam et nuper fertilitatis tellus, magna frugum parens iure appellabatur, et orbis terrarum granarium, quod omnibus late populis frumenta ministraret, nunc in teterimam sortem ruit, et insania hominum, veluti horribili divini Numinis iudicio, cunctis est gentibus tristissimum miraculum monstrumque infortunii.

Quae enim Gregorius Magnus de nostra olim Italia a Gothis devastata scripsit, optime Russis aptantur: «Humanum genus – ita Ille – quod in hac terra prae nimia multitudine, quasi spissae segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatae urbes, desolata ab omnibus praedia,

atque ab omni cultura destituta; in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat; occupaverunt bestiae loca, quae prius multitudine hominum tenebat». <sup>1</sup> Mutato nomine, omnia haec, graphice Russorum conditionem ob oculos referunt.

Si vero difficillimis illis temporibus, opportunus et munificus adsuit Italis defatigatis immortalis ille Pontifex, qui singulari benignitate patres nostros olim est amplexatus, et, omni sua substantia in egenorum subsidium transmissa, Italorum acerbitatibus subvenit; hac nostra aetate, alter Pontifex, qui adspectu, alloquio, liberalitate, expressam Gregorii imaginem refert, Pius XI, omnibus, data opera, animis recreatis, ad pueros Russiae se se convertit, qui hac tempestate miserrime inopia laborant. Hos subsidio levare studet, et illuc ex insperato, decessorum suorum exemplum secutus, aliquot viros sibi probatos, cum stipe, quam filii Ei miserant, indicem decoris et observantiae suaे, immisit, qui, fideles Pontificis voluntatis interpres, puerorum inopiam sublevarent. Quare omnes late populi, tantam virtutem admirati, dum publicum grati animi

<sup>1</sup> S. Greg., *Dial.*, III, c. 38.

documentum deferunt, et Patri suavissimo, qui licet in magna rerum angustia versetur, miseris succurrere omnimode studet, plausum dant, atque alterna vice suppetias missitant. Et Pater ipse, multis difficultatibus circumventus omnibusque opibus expoliatus, stipem filiorum identidem accipiens, profusa liberalitate pauperes solatur.

Faxit Deus, ut omnes simul orbis terrarum gentes, vocem Pontificis Maximi auscultent, eique suppetias mittere festinent. Quae veluti bonarum aquarum fluvius in pauperum solamen mirifice redundant.

Gloria autem Pii XI semper erit, tetrica nostra aetate, hoc mortalibus benevolentiae exemplum dedisse, ut nulla habita religionis differentiae ratione, ad caelestia unice respiciens, ultro et praeter omnium opinionem, pauperibus Russorum pueris tam generosam opem obtulisset.

Utinam Pater Sanctissimus possit tandem singulari benignitate inopes lenire, quoad sereno eis vultu rideat fortuna, et Eum Patrem, Patronum, omnibus admirantibus, salutent!

I. B. F.

## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

Materias, quibus opifices uti solent, saepe poëtae in carmina duxerunt. Aurum pretiosum habes apud CATULLUM (107, 3): « Nobisque est carius auro ».

OVIDIUS (*Am.*, III, 8, 3): « Ingenium fuerat quondam pretiosius auro ».

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. mens. Iulii.

Praeterea (*Z*, 232):

‘Ος δ’ ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ  
ἰδρις, ὃν “Ηφαιστος δέδαεν καὶ Πάλλας Ἀθήνη  
τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείν,

imitatus est VERGILIUS (*Aen.*, I, 596): « Aut  
ubi flavo argentum Pariusve lapis circundatur auro », ita ut de suo marmor adderet.

Auri flavi colori comparavit crinum flavorum colorem ALCMANUS (XXII, 54):

Ἄ δὲ χαῖτα  
τᾶς ἐμᾶς ἀνεψιᾶς  
Ἀγηστχόρας ἐπανθεῖ  
χρυσὸς ὡς ἀκίρατος.

Quod apud Alcmanum ἀκίρατος dicitur, sive probum, ut Romani dicunt, plumbo probatum esse, num esset aurum, habes THEOGNIDES (499), BACCHYLIDEM (fr. 22), THEOCRITUM (12, 35 frgm.).

Quod Chilonis sub nomine circumferitur, denique igni, quo etiam argentum probabatur, THEOGNIDES (499): «Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόντε καὶ ἄργυρον ἕρεις ἀνδρες γιώσκουσι».

OVIDIUS (*Trist.*, I, 5, 25): « Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum ».

Quod omnibus, quos modo attuli, locis poëtae aurum quod probatur, homini comparaverunt, cuius quis periculum facit, adducit me, ut credam, hanc communem sententiam corrigere voluisse EURIPIDEM, quem scriberet (*Med.*, 5, 16):

‘Ω Ζεῦ τὶ δὴ χρυσοῦ μὲν ὁς κίβδηλος ἢ  
τεκμήριον ἀνθρώποισιν ὥπασας σαφῆ,  
ἀνδρῶν δ’ ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι  
οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι;

E ceteris metallis ferrum compluries locum habet in comparationibus; semper autem duritiae causa inducitur (*Y*, 372): «Ἔσουκε μένος δ’ αἴθωνι σιδήρῳ (δ, 293) – Κραδίη σιδηρέη.

OVIDIUS (*Met.*, 14, 712): « Durior et ferro,  
quod Noricus excoquit ignis ».

Ipsam autem duritiae rubigine victam exhibet PROPERTIUS (III, 20, 15): « Feritur rubigine mucro ferreus »; usu consumptam OVIDIUS quater: *Am.*, I, 473; III, 91; *Ex P.*, II, 7, 43; IV, 10, 5.

Eboris candidus color, quem nos in comparatione vocare solemus, apud Homerum in imagine est (*σ*, 196):

Λευκοτέρην δ’ ἄρα μιν θῆκε πριστοῦ ἐλέφαντος,

Ebur vero quod antea una cum auro in similitudinem adhibitum esse vidimus, quinque praeterea locum habet in nostrorum poëtarum carminibus. Ex (*Δ*, 141): «Ος δ’ ὅτε τις τ’ ἐλέφαντα γυνὴ μάγη Μηρὼν  
ἡὲ Καείρα, fluxerunt, VERG. (*Aen.*, XII, 67): «Indum sanguineo veluti violaverit ostro siquis ebur»: – OVIDIUS (*Am.*, II, 5, 39): «Aut, quod ne longis flave cere possit ab annis, Maeonis Assyrium femina tinxit ebur». – Idem (*Met.*, IV, 332): «Hic color... aut ebori tincto est».

Ebur ligno inclusum exhibit VERGILIUS (*Aen.*, X, 135): «Quale per artem inclusum buxo aut Oricea terebintho lucet ebur».

Ebur vitro tectum OVIDIUS (*Met.*, IV, 354): «Ut eburnea si quis signa tegat claro vel candida lilia vitro».

Quum verisimile sit iam veteres, nisi caeci fuerint, vidisse, quam vitrum sit splendidum, Zingerleo non assentior, cui: «für das wechselseitige Verhältniss sehr bezeichnend», est, quod apud HORATIUM (*C.*, III, 13, 1) et OVIDIUM (*Met.*, XII, 791) exstat «splendidior vitro».

ALEXANDER AURELI.

Semper ira procul absit, cum qua nihil recte,  
nihil considerate fieri potest. Quae enim cum aliqua perturbatione fiant, ea nec constanter fieri possunt, nec ab iis qui adsunt, probari.

Cic., *De eff.*, I.

## DE ANTIQUIS CHRISTIANORUM SEPULCRIS

Qui alias, nec semel a defunctorum commemoratione occasionem nactus de ethnicorum sepulcris in hisce paginis scripsi,<sup>1</sup> de sepulcris Christianorum hodie nonnulla verba proferam.

Atqui in primis cum De Rossi<sup>2</sup> adfirmandum est Christianorum sepulturam, a priscis iam temporibus ipsisque «persecutionum» saeculis actionem fuisse «religiosam», quam Ecclesiae preces comitarentur. Et clarissimus ille Christianarum antiquitatum princeps, ad rem inducebat Tertulliani testimonium, qui, in cap. XXIX libri *De anima*, narrationem refert vulgo, illa aetate, probe cognitam: «Scio – ait – foeminam quamdam vernacularum Ecclesiae forma et aetate integra functam post unicum et breve matrimonium quum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace situi suo reddidisse». Neque sepulturae dumtaxat adstabat orans sacerdos: etiam anniversario depositionis die preces et sacrificia renovabantur, cuius anniversarii solemnitas erat omnium maxima ad martyrum sepultra; idque quam explicita atque vetusta testimonia doceant in certissimis ecclesiasticae historiae documentis nemo ignorat. Martyrum fideliumque sepulturae officium permagni in primitiva Ecclesia habebatur idemque carissimum; adeo ut Romani presbyteri, Sede vacante post S. Fabiani martyrium, scribentes Carthaginensi clero pastore destituto propter absentiam S. Cypriani, maxima inter mo-

<sup>1</sup> Cfr. an. V, fasc. XI; an. VII, fasc. XI.

<sup>2</sup> *Roma sotterranea*, t. I, pag. 83 et seq.

nita hoc posuerunt: « Et quod maximum est, corpora martyrum aut ceterorum si non sepeliantur, grave periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus ».<sup>1</sup> Praeterea notum est, pecuniam in arca ecclesiae collectam ex ultroneis fidelium largitionibus, pauperibus, viduis, pupillis subveniendis, eisque post mortem convenienti sepulturae dandis erogatam fuisse;<sup>2</sup> atque ita religiosus et sacer huiusmodi Ecclesiae thesauri usus putabatur, ut saeculo iv S. Ambrosius doceret: « Humanis fidelium reliquiis... vasa ecclesiae etiam initia confingere, conflare, vendere licet ».<sup>3</sup>

Pauca haec de priscis Christianorum ritibus ac legibus, etiamsi ipsa antiquitatis documenta muta essent, sufficerent ut intellegeretur Christianorum sepulcra ab ethniciis monumentis diversa et separata fuisse; sucta habita, praesertim si essent martyrum; curis ac patrocinio sacrorum administrorum concredita, necnon liberalibus piisque ecclesiae benefactoribus. Quod autem revera ita se habeant res, facta, documenta, monumenta, quorum historia plena est, confirmant.

Huc usque ex De Rossi; ceterum iam inde ab Evangelii praedicationis initio, Apostol's curae fuit, ubi Christianam fundassent communitatem, ibidem coemeteria instituere, ut fidelium cadavera convenienti loco conderentur. Tacent quidem de re Scripturae sanctae; sed antiquissima documenta, in quibus Christianorum coemeteria urbis Romae recensentur, de quodam coemeterio « ad nymphas S. Petri », « ad fontem S. Petri », « ad sedem ubi prius sedit S. Petrus » mentionem faciunt, quod in *Actis Liberii Papae* « Ostria-

num » vocatur, ubi Petrus « Apostolus baptizaverat ».<sup>4</sup>

In Asia Christiana sepulcra plerumque familiaria fuere, in rupe durissima effossa, neque, primo salem saeculo, ab Hebraicis sepulcris distincta, quod Romae fieri non potuisse videtur, quum iam a Neronis persecuzione Christiani a Iudeis decretorio modo secernerentur. Petrum autem sepultum dicere in gentilicio ethnicoque hypogeo non dubitarunt, quum « de domo Caesaris » non deessent Christiani, qui apud ipsas Neronianas possessiones et iuxta viam Aureliam sepulcrum haberent. Patet vero non potuisse Christianos commune habere cum ethnici coemeterium, quum isti defunctis honores tribuentes ritus complerent Christianis sepulcris prorsus incongruentes, Christianique talibus prosequi defunctos obsequiis deberent, quibus ethnici adsistere nequirent. Apertum quoque est rationem defunctos sepeliendi cum fide de corporum resurrectione congruentem nonnisi in Hebraica sepultura inveniri: quod scilicet cadaver intactum, in virgine terra, veluti in lectulo, ubi beatam resurrectionem exspectaret, sollicite deponeretur. « Quae resurrectionis fides - ait De Rossi<sup>5</sup> - quum esset commune spei vinculum universae Christianae fraternitatis, atque martyrum sepulcra orantes sibi attraherent fideles, fierentque veluti centrum sacrorum conventuum ad divina mysteria celebranda; natura factum est ut et fidelium sepulcra pedentem circa fidei heroum sepulcra congregarentur. Itaque, licet nulla videatur lex viguisse Christians adagens ut in communi fratrum loco sepulcrum haberent; immo quamvis cer-

<sup>1</sup> S. CYPRIANI, *opp. ed. Balut. Epist. II* (aliis III et IV).  
<sup>2</sup> Cfr. TERTULL., *Apolog.*, c. 39.  
<sup>3</sup> *De officiis*, I, II, § 142.

<sup>4</sup> *Roma sotterranea*, t. I, p. 5.

tum sit, sepulturam in privatis locis et monumentis gentiliciis, dummodo nulla fieret cum ethnicorum sepulcris commixatio, fuisse Christianis permisam, tamen quum communia coemeteria invenimus apud Ecclesiam in usu ab immemorabili, tum pleraque videmus privata vel haereditaria sepulcra amplificata atque usui omnibus fidelium coetus erogata fuisse et cum maioribus Christianis necropolibus coniuncta ».

Verum huiusmodi necropolibus suum nomen illud non est, quo vulgo hodie appellantur, scilicet *catacumbe*; sed *coemeterium*, ex graeco vocabulo κοιμητήριον, quod omnibus, ethnicis non exclusis, *dormitorium* significabat. Scilicet fidelium corpora, uti diximus, in sepulcro veluti in lectulo deponebantur, nec terrae levitas iis poterat augurari, quippe qui ea minime premerentur: itaque Christianae epigraphicae formulae omnes in hoc maxime conveniebant ut *dormitionem*, *depositum*,<sup>1</sup> *somnum pacis*, etc. sepulturam vocarent. Quam ob rem et conclavia, hac illac per coemeteria effossa, quum aequae ac ceterae cryptarum partes sepulturis inservirent, *cubicula* vel *cubiculi* dicebantur, quamquam postremum hoc vocabulum pagana quoque sepulcra designavit.

Romae vocabulo *coemeterium* integra cryptarum series inter se communican-

<sup>1</sup> *Depositio*, vox tam cum Christianorum sepultura congruens, quippe quae temporanea esset ut veluti somnus, apud ethnicos non solum perraro inventitur, sed longe alio sensu. Fiebat enim, ut aliquando non statim posset corpus aliquod in proprium sepulcrum efferri, aut quia monumentum esset etiam tum perficiendum, aut alia de causa. Tunc deponebatur corpus, hoc est condebat ad tempus, ut postea in proprium religiosum locum transferretur. Huc facit illud legis praescriptum: « Si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitabat inde alio postea transferre, magisque temporis gratia deponere, quum quod ibi sepeliret mortuum, et quasi aeterna sede dare destinaverat, manebit locus profanus (IUL. PAUL., *De religios. et sumptibus funer.*, IC, 1, 40).

tium indicabatur; in Graecia vero atque in graecis epitaphiis Magnae Graeciae etiam unicum sepulcrum hoc titulo saepe appellabatur. *Catacumbarum* autem nomen, praeter quam quod solum S. Sebastiani coemeterii saeculo III proprium fuit, minime antea - (et post saeculum X tantum ad omnia subterranea Romana coemeteria designanda conversum est) - tot tamque diversas sortitum est interpretationes apud Christianae antiquitatis cultores, ut nil prope magis in controversiam cesserit. Omnes quidem uno ore in primam vocabuli partem tamquam graecam propositiōnem κατά conveniunt, sed in altera parte declaranda late discrepant. Marchius ex. gr. eam putavit ex latino ortam, hoc est a *cubando*, propterea quod vox *cumbo*, quum propositio aliqua ei praefigatur (*ad, cum, de...*) iacendi significationem sumat. De Rossi vertit: *ad accubatoria*, proinde que in idem recidit atque eius magister. Lugarius, Hesychium, graecum grammaticum, sequutus, putat totum esse graecum vocabulum ex κατά κύβος, quod vertit *in cavo recessu, in cavitate*.<sup>1</sup> Et ita deinceps.

Christianae igitur coemeteria non fuerunt Romae inventum quoddam novum, sed hypogea amplificata; neque Gentibus deerant coemeteria huiusmodi, quorum unum ad quartum viae Flaminiae lapidem vidit Fabrettius.<sup>2</sup> Quod autem de Roma dicitur, etiam de ceteris Christiani orbis partibus affirmandum est. Praeterea, antequam Christiana fides Romae nun-

<sup>1</sup> Ingeniosa est Du Cange interpretatio in suo *Glossario*: « Quum martyrum corpora deferrent Christiani et rogarentur ubinam iacent, respondebant: « Cata Cumbarum, seu ad cumbas, idest cryptas, vel ad valles, aliquot ab Urbe milliariis ». - Nec quidquam dicimus de lectione *Catacumbas*, quae in *Libro Pontificali* occurrit et hodie ab omnibus reiicitur.

<sup>2</sup> FABRETTI, *Inscript. domest.*, pag. 55: « Necrum crematione instituta, in topho indigena excavatum sepulcrum... qualia in nostris Christianorum coemeteriis visuntur ».

c'ata est, ibi iam pergrandis Iudeorum colonia exstabat coemeteria propria atque a Gentilibus sepulcris omnino separata in communi possidens, quum et Iudei fidem de finali corporum resurrectione profiterentur, timerentque per sepulturam commixtionem cum ethnicis, ne sanctorum sepulcra, id est suorum, macularentur. In via Portuensi in lucem venit Iudaicum coemeterium fere penitus deletum, quod Bosius iam descriperat et Christiano aevo ipse attribuerat.<sup>1</sup> Merito quidem; nam et hodie eadem antiquitatis indicia in hisce sepultris facile recognoscuntur, ita ut veri simile sit ea Magni Pompeii aetati tribuere. Marchius « prototypon Christiani coemeterii » coemeterium illud putavit;<sup>2</sup> at De Rossi, et fortasse melius, opinatus est, Christiana et Iudaica coemeteria commune archetypon habuisse in Palaestinensisibus sepulcris. Ista enim « et usus eorum, generalis apud populos Semiticos, bene potuerunt prototypon sugerere, cui tamen defuerunt et multiplices anfractus et intextus viarum quae, inter plura hypogea seu cubicula effossae, cadavera in parietibus servarent. Singulare itaque religiosae ac civilis communis vinculum, quod Hebreos, in ethnicorum metropoli degentes coniungebat, et ecclesiastica communio, qua Christiani cor unum et animam unam constituebant; postremo vulcanicae rupes Romani soli ad necropolim subterraneam excavandam aptissimae, effecerunt ut, utrique, Christiani et Iudei, vias funebres coemeteriaque illa sponte excavarent, quum alios non imitarentur.<sup>3</sup>

\*\*

Restat ut verborum mentionem faciamus, quibus praecipue Christianorum coe-

mteria sunt designata. Haec sunt: *Area*, *Crypta*, *Crypta arenaria*, *Arenarium*; *Atrium*, *Concilia Martyrum*, *Latebrae*, *Polyandria*, *Limina*, *Hypogaeum*, *Casa*.

*Areae* vocata sunt Christiana in Africa coemeteria, testibus Tertulliano<sup>4</sup> et *Actis sinceris* S. Cypriani.<sup>5</sup> Quamquam hoc nomine deinde designata quoque est soli pars, quae sepulcrum circumstaret atque ad illum pertineret. Sepulcralis area vocata etiam fuit *hortus*, cuius nominis rationem dedit Armellinius, in opere, quod de Romanis Italicisque vetustis coemeteriis egregie scripsit.<sup>6</sup>

Vocabulum *crypta* idem sonat atque *subterraneus locus*, quilibet finis fuerit propter quem est effossus; sed vox epigraphica Christiana coemeterium subterraneum significat, saepiusque *integra subterranea via*. Quum autem adiectivum *arenaria* additur, seu *cryptae arcnarum* dicuntur, hoc, ut De Rossi adnotavit,<sup>7</sup> non vocabulum, prout hodie vulgo dicitur, « technicum » fuit, sed inductum est ad significandum locum sepulturae prope *arenaria* esse. Atqui *arenarium* semper *arenae fodinam* designavit.

*Atrium* quoque coemeterium vocatum est eo quod moris esset in atriis ecclesiarum sub pavimento sepeliri mortuos. Usus hic post pacem Ecclesiae invaluit, quum scilicet, circa basilicas super martyrum sepulcra, devotionis caussa erga martyres, circuitum et atrium ecclesiae cuiuslibet, denique ipsam ecclesiam occuparent.

*Concilia martyrum* locus ille vocatus est, ubi multorum martyrum corpora quiescerent.

<sup>1</sup> *Roma sotterranea*, Opera postuma, I. II, c. XXII, pp. 186 sqq.

<sup>2</sup> *Monumenti primitivi*, pagg. 20-21.

<sup>3</sup> *Roma sotterranea*, t. I, p. 90.

<sup>4</sup> *Ad Scapulam*, c. 3.

<sup>5</sup> Apud RUINART, p. 219.

<sup>6</sup> ARMELLINI, *Gli antichi cimiteri di Roma e d'Italia*, pp. 50-51.

<sup>7</sup> *Roma sotterranea*, t. I, p. 180 et *Itineraria ad calcem libri*.

*Latebrae* nomen inde videtur deductum, quod catacombe non modo inservirent humandis defunctorum corporibus, ex quo et nomen est inditum, sed et, persequitionis tempore, ad latebras Christianorum.<sup>1</sup>

Vox *Polyandrium* (*Polyandron*) proprie sepulcro uni convenit, capaci tamen ad plura recipienda cadavera; sed ad coemeterium etiam nuncupandum nonnunquam usurpata est.

*Limina* vox est e graeco λημίν, quae idem sonat atque *portus*; itaque tam apostolorum quam martyrum sepulcra indicavit, quod essent peregrinantum veluti meta et portus.

*Hypogaeum* nomen proprium fuit inferioris ac subterraneae monumenti alicuius partis, ubi erant sepulcra. Plerumque vero haec vox cubiculum innuit; eiusque synonymon καταβαῖον fuit; et ritus dedicandae ad sepulcra inferioris hypogei vel catagei partis effecit ut, in templis et basilicis sub altari, *crypta* sive *cubiculum* construeretur, quod vocatum fuit *confessio*, μαρτύριον, quia ibi depositae essent martyrum et confessorum Christi reliquiae, cuius accessus, quum scala exstaret sive descensus, κατάβασις dictus est. Tardius autem in usum venit vocabulum *catabasis* ad coemeterium subterraneum generatim indicandum.

*Casae* denique aliquando vocatae sunt cellae sive monumenta in areis Africanis erecta. Sic in *area martyrum* Ciriae « casa maior » commemoratur, quae ideo « minores casas » sive casulas supponit; quo quidem postremo vocabulo parvum monumentum designatum invenimus.

Et haec satis ad propositum argumentum sint.

S. S.

<sup>1</sup> BARONIUS, *Annal.*, an. 286, II.

## EX POLONIA

### II

Anno MCMXVIII, fusis ad Plavem ab Italibus Austriacorum cohortibus et Germanorum in Gallia, profligatisque imperiorum vestigiis, omnes et singulæ populorum stirpes, nulla mora interposita, sui iuris et consili, veluti ex composito, se se esse ultro proclamarunt. Illico propterea Polonorum exsules ad suos undique convolantes, ex dissolutis exercitibus, veterem rem publicam alacres renovarunt, et una voce, sub auctoritate Pildulscki illius, supremi exercitus ducis, coniugiantur, quem Polonorum restitutorem saluant. Quod foederati principes Versaliis in Gallia coacti ratum habuerunt.

Sic tandem, ut omnes antea acrioris ingenii viri praedixerant, et incredibili omnium populorum gaudio, regnum, invidia olim regum disceptum, est animorum concordia feliciter restitutum.

Polonia, uti constat, si eius situm describere velis, est omnis planissimo in loco posita, leviter tamen identidem montium iugis distincta... Sed ita est ampla, ut universam superet Italianam, nuperrime per superiores pactiones etiam accessione amplificata regionibus, quarum aliae ad Lituanię spectabant, aliae ad Russiam.

Multae sunt et quidem amplissimae Poloniae recentioris urbes; Varsavia vero civitas « maximam semper ».

*Dicetur nobis, et erit quae maxima semper*.

Haec magna dum res Poloniae stetit, industria sua animique fiducia aliquando regnum recipiendi certamque exterorum pestem depellendi, vel sub herili dominatu immensum crevit, et tertium quodammodo locum in imperio obtinuit.

At vix in libertatem sese vindicavit, pulchrior evasit, iterumque urbis pomorio prolato, civibus crevit et amplitudine. Aedes sunt recentiori cultu elegantes, viae amplissimae arboribusque hinc inde consitae. Reliquias priscarum artium divini-

tus quasi adservatas aedibus intulerunt et mus um patrum dedicarunt. Adsunt et viridaria sumptuosa, h̄c atque illuc composita, quae dum urbi pulchritudinem quādam addunt, ad aēris serenitatem et salubritatem maxime conferunt.

Quae dum oculis stupens admiraris, in mentem revocas quae Tullius memorat: «Omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quae cum republika est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinquai, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei erit profuturus?».¹

Quod quidem Poloni, magna animorum recordatione, passim per urbem hospites amplissime monent. Multae enim sunt diversis in locis positae atque mira pulchritudine ex marmore effectae statuae in eorum honorem, qui olim pro patria libertate gloriose occubuerint. H̄c viri honestantur iuri dicundo, vindices legum, adsertores patriae felicitatis, et aliquando qui immobilem pro patria fidem armis probarunt.

Et ne quid ad magni populi gloriam deasset, archigymnasium maiores aperuerant, ubi liberaliores omnes disciplinae publice traderentur. Quod, auctis magistriis, magis atque magis celebre fuit, vel difficillimus herilis imperii temporibus Et pueri, etiamsi a barbaris horribiliter vexati, alacriori animo probata sibi studia excolebant; atque identidem ad arma incitati domi ad literas deamatas redibant. Et nostra aetate quō scriptores pollenti ingenio floruerunt et litteris Polonorum nomen honestarunt!

Bibliotheca libris, codicibus atque autographis instructa et duplii priscorum nummorum serie aucta est, a sapientioribus invisitetur et laudibus amplissimis extollitur.

Museum anatomicum admiramus omni instrumento, aptis quoque arculis thecis-

que disposito, cultoribus artium salutarium laute adornatum. Sic cum ceteris certare videtur. Coemeterium amplissimum est arboribus consitum, spatiis distinctum: inibi quoque aediculae sunt pro loci religione et dignitate dedicatae,

*Ossaque nomen*

*Varsavia in magna, si qua... est gloria, signant;*  
nomina potissimum veterum, qui sub externo dominatu amorem et religionis studium cum magna in egenos liberalitate coniunxerunt.

Adsunt quoque et nomina eorum, qui nostra memoria, immobilis fidei exemplaria, patrias partes apud exterias gentes ingenio propugnarunt, et reduces in patriam ad egregium militiae gradum proiecti, Polonorum rationes sollerter curaverunt. Quot pulcherrima monumenta e marmore conspicuntur, quotque heroum effigies, de quibus diceret:

*Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat!*

At omnes pii, fideles, mente et virtute praediti religione laudantur. Crux in omnibus fulget, et omnes haec nostrorum tellus visitantes monet, cives sint an hospites, defunctos in rebus arduis et laetis boni presagia futuris ordinibus exspectantes, in Domino fiduciam perpetuam possuisse. Ut pro viribus ad puerorum institutionem in dies melius intendant, more maiorum nihil antiquius habuerunt quam ut viros pietate insignes undique advocarent, quorum opera patrum religio incolumis servaretur, hisque munus demandatum est Poloniae sobolis iis artibus formandae, quae ad humanitatem pertinent.

Graves insuper rerum difficultates impresestiarum sunt Polonis superandae ob summam pecuniae aureae inopiam, maximamque monetae chartaceae vilitatem; sed, Deo adiuvante, tandem aliquando ad portum salutis pervenient. De his vero postea. Valete.

JOAN.

<sup>1</sup> De off., I, 17.

## ECLOGA NOVISSIMA<sup>1</sup>

Musarum cultor Didius ludique magister, donec per vires licuit, post, urbe relicta, rusticus, in macro vivens grandaevus agello cum cane et ancilla, longa assuetudine amicis, forte sub ingentis projectus tegmine querucus - sol medius caelo campos torrebat ab alto replebantque nemus rauco stridore cicadae - carmine sic olim, priscae non immemor artis, effudit moestas moesto de corde querellas.

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti! Ille ego qui vestrum magno percussus amore septennis coepi metiri pollice versus, mox et deduxi callens feliciter aure, donec, amicorum rara exhortante corona, vestras deveni sedes, Helicona beatum, atque triumphales circum mea tempora laurus non semel implicui, mihi sidera tangere visus; ille ego nunc studiis fessus coepaque senecta transactam vitam reputans longosque labores, moerore interdum totus perfundor amaro, ac si spes fuerim sen. per sectatus inanes et procul errarim sapientis ab ordine vitae.

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti! O melius birota a teneris si currere doctus erubibus augendo stolidussem rite vigori, dum sua turgebat iuvenili in corpore virtus! Iam celer elabens intenta per ora virorum, ocior incurvae spatium permensus arenas ante alios, metam tetigissem victor et unus plausibus et merita gauderem nempe corona. Hinc vetuli et vetulæ puerique unaque puellæ me, inflatis buccis, unum sine fine creparent fausta sorte satum, felicem et dite crumena!

<sup>1</sup> Quod clarissimus auctor, pro sua humanitate, hoc suum carmen, in recentissimo certamine poëtico Hoeufftiano magna laude ornatum, nobis tradiderit in *Alma Roma* edendum, plurimas gratias ei habemus et publice referimus, dum ob novum ipsi inlatum honorem ex animo gratulamur. - 1. F.

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti!

Ne vobis, divae, sint carmina nostra pudori: vos amo, ut ante, etiamnum, et vestrum n

[men adoro. At me si mater genuisset cara cerebro

pingui atque ingenuis plane non artibus apto, sed pedibus volucrem et lato pulmone valen

[tem! Hunc, cui tale dedit donum fortuna benigne, cernitis heroas inter divosque referri

et patriae decus et lumen mirabile haberi. Sit bos, sit stipes: proprium nec scribere no

[men aut legisse sciat: quid refert, turgida quando sura toris confecit iter rapidissima longum

[mi...? Ast illi palmae et, quod gratius, aeris abunde

[est! Extremum faciles, Musae, adspirate canenti!

Tempora volvuntur sacris non fausta poëtis: ars nihil, ingeniumve nihil: solummodo nervi Herculei prosunt atque ictus Hercule digni.

Ecce pugil pugilem (validis utrumque lacertis instruxit natura potens) prosternere certat. Aspice quam densus spectantum circulus ad

[stat, nec vulgus tantum: matronae ex ordine primo egregique viri, pueri ingenuaeque puellae: ut cupidis omnes oculis! ut hiante labello!

At victor simulac medium complexus adegit rivalem prona tellurem tangere fronte aut pugno stravit, fracta cervice, supinum,

exiliunt omnes: furiali turbine clamor perstrepit et longo resonant proscenia plausu.

Felix, cui tantos ulnae peperere triumphos et breve momentum sestertia plurima fudit, nuncia dum totum volitat tua fama per or

[bem!

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti!  
Quod tamen exegi placidam laetamque iu-  
[ventam,  
quidquid eram vestris adlectus coetibus, Al-

[mae:  
quod dulces latices sacris de fontibus haus,  
unde aluit magnos antiqua poësis alumnos:  
quod demum recreor totusque resumere vires  
ipse mihi videor, quotiens a plebe remotus  
invigilo libris aut scribo, percitus oestro,  
muneris id vestri totum est gratesque rependo  
innumeris vobis. Sed et hoc mihi, credite,

damno est:  
nam dixi monstror fatuus cordisque pusilli  
et risu excipior, si quando carmina dico.

Sola seni plaudit, comes usque fidelis, ege-  
[stas.

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti!  
Ast ego non ideo vitae mutare tenorem  
molior ipse meae: non, si fortuna retrorsum  
versa rotæ summum mihi det descendere

[gyrum:  
non! vixi: tenebris ultro me involvere malo  
pauperieque mea, dum Musas dicar amasse  
tunc cum vos, Musae, vix unus et alter amabat.

ALFONSUS M. CASOLI, S. I.



## EX AMERICIS

Accepimus, et libenter edimus:

Carmelita quidam Americanus aërem  
nubesque machina nuperrime petivit. Rem  
talem admirati omnes, conquesti nonnulli;  
hisce vero versibus celebravit unus: hic  
fuit Rainer doctor, olim Seminarii apud  
Sanctum Franciscum in loco Milwaukee  
Rector:

DE NOVO ELIA!

*Igneus astra petens currus removit Eliam:*

*Labitur, ecce, chlamys: Nubibus ipse latet.*

*Saecula multa ruunt; en alter scandit Elias;*

*Scandit, descendit: nubila nulla tenent.*

Chicagine, Kal. Octobr. MCMXXII.

L. W.

## COMMUNIA VITAE<sup>1</sup>

Iam tantum circa argumentum, quod  
mihi assumpsi, scripsisse videor, ut fasci-  
culum alterum de re componere et edere  
possim. Qui quidem, praemissis, quasi ad  
diverticulum, *praecipuorum animalium  
vocibus* (pag. 5-8), totus est *de officiis*, eo  
sumpto huius verbi sensu tamquam « con-  
gruo actu uniuscuiusque personae, id, in  
quod quisque debet incumbere, ut ipsum  
pro loci, temporis et personae qualitate red-  
dat effectum ».<sup>2</sup> Duos itaque colloquentes  
effinxii, quorum alter officia quaerat, alter  
reddat; neque aliunde poterat res institui  
quam a petenda facultate rogandi, exor-  
randi (pag. 8); quae ultiro a requisito da-  
tur iis humanissimis, ut decet, verbis  
(pag. 8-10), ut rogator abstineri non pos-  
sit quin eius comitatem laudibus extollat  
(pag. 10).

Sciscitur alter quid sua opera opus  
sit (pag. 10); auxilium alter invocat (p. 11),  
et tum gratum animum suum, tum Super-  
rum beneficii remunerationem profitetur  
(pag. 12-13). Instat alter cur ipse adiutor  
fuerit electus et ad quam rem (pag. 13);  
alter dicere non audet, neque vult esse mo-  
lestus (pag. 13-14); sed tandem, animos  
recipiens, commendationem, qua indigit,  
efflagitat (pag. 14-16).

Sequitur querela de crudelissimo ad-  
versario, in quem defensio imploratur  
(pag. 16-17). Promittit alter sese ad extre-  
num usque amicum sustenturum; interim  
rem animo ponderaturum (pag. 17); deinde  
rationes agendi in discrimine suggestit  
(pag. 18).

<sup>1</sup> FORFEX noster in propositum tandem descendit  
alterum de phrasibus et formulis ad latina colloquia  
instituenda fasciculum edendi, cuius praefatio est  
quam hic hodie vulgamus; eoque libentius, quod totius  
opusculi rationem resumit. Numeri ad eiusdem opu-  
sculi paginas referuntur.

<sup>2</sup> FORCELLINI. Lexic., voc. *Officium*.

Sed et lites exstant; consilium itaque  
petitur et patrocinium (pag. 18-19); utrum-  
que conceditur, quamquam et difficultates  
minime occultantur (pag. 19).

Post lites in medium ponuntur accepta  
convicia (pag. 19-20). In mentem revoca-  
tur iniuriarum memoriam tolli atque deleri  
oportere, imo voluntaria oblivione  
conterere (pag. 21): iustumque consilium  
esse quod in pacem vergit; idque et cum  
dignitate convenire (pag. 21-22).

Fieri autem nonnunquam potest ut no-  
stra sententia ab aliorum sententia discre-  
pet, quamvis animorum sit consensus  
(pag. 23): controversia transigenda est,  
licet interdum spei et exspectationi exitus  
non respondeat (pag. 23-24).

Sed animi sollicitudo anxia magis esse  
potest quam alicuius dilecti nostri bene-  
volentiam amiserimus (pag. 24) sive no-  
stra, sive aliorum causa; eo magis animo  
libentil prolixoqüe in reconciliationem  
opera nostra conferenda est (pag. 25-26).

Aliud officium, idque laudabile non  
minus, erit quum ipsum in hominem ver-  
tam, cui negotia vel male omnino ces-  
serunt (pag. 26) vel in id discriminis, ex  
quo ille nullum exitum inveniat (pag. 27),  
praeterquam quod mensarias rationes cre-  
ditoribus renunciet, vel perdita quavis  
auctoritate atque fide, bona in publicum  
addici patiatur (pag. 28); laudabilius au-  
tem est officium reddere quum multis aliis  
negotiis simus impliciti (pag. 29); dignum  
tum prosector, quod pro eo gratus iuti ani-  
mus probetur (pag. 30).

Neque recusabimus improvidò illi, qui  
lusus aleam quum tentaverit (pag. 30), in  
magnum aes alienum inciderit (pag. 31).  
Resistere quidem tum convenient (pag. 32),  
at quum videamus alterum ad tales inci-  
tas redactum, ut homo infamis fiat (p. 33),  
ne ei consilia saltem denegemus de debiti  
solutione (pag. 34), atque ad eius dignita-  
tem servandam incolumem (pag. 35).

Pariter, quum simus rogati de imposi-

torum vectigalium (pag. 35) - et quot sunt  
hodie vectigalium genera! (pag. 36) -  
imperanda revocatione, certiores facti de  
eorum iniustitia et quibus expeditis argu-  
mentis utatur fiscus (pag. 37-38), ne ab-  
nuamus.

Postremum est de morte argumentum:  
videmus aliquem tristem admodum; po-  
stulamus moestitiae causam; accipimus ex  
luctu doloris plurimum hausisse (pag. 39);  
miseramur, petimus (pag. 40) atque edi-  
scimus quod mortis genus, (pag. 41)  
et quibus cum circumstantiis interces-  
serit (pag. 42). Hinc pronus sermo ad  
percontandum de defuncti testamento,  
(pag. 43) itemque circa haeredem, bona,  
haereditatis procuratorem, (pag. 44), ho-  
nore mortuo celebratos, et num ex ra-  
tione aliqua tutor haeredi sit attributus  
(pag. 45); denique de assis haereditarii  
divisione et cessione (pag. 46).

Tota res clauditur cum querelis in  
adversam fortunam; quae quidem, merito  
an immorito non dicam, sunt omnibus et  
in omnibus communes!

Valete interea vos, donec hanc salu-  
tationem a me vobis iteratam in tertio sa-  
sciculo inveniatis: tum enim usque ad  
quarti fasciculi editionem vota mea vobis  
renovabo, ... et sic deinceps.



## FLORALIA<sup>1</sup>

### De ranunculis

hodie in primis sermo sit.

Inter hortenses ranunculos lectissimi  
habentur, quorum exigua radix, pluribus  
ab uno capite demissis prope retundis aut  
longiusculis pallidis radiculis in tenues  
fibras desinentibus, grumuli effigie coale-

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. IX.

scit: oblongis et crassioribus coagmentata, simplici flore ranunculum feret.

Inter simplices aureus pretiosus maxime est. Brevi praetenuique pediculo nixus, quaternis, quinis, senisve latis foliis nigrum capitum tegumentum coronat, in longuli, plani, minutuli et subrubentis seminis teretem thecam transiturum. Ima folia modice lata, pinguia, laciniatim divisa et leviter serrata ex viridi flavescent. Cohaerentes in grumum radiculae gracili longitudine porriguntur. Sed radices illae, quarum flores densa structilique foliorum copia compacti ardentissime rubent, minusculis qua ferme rotundis, qua oblongis glandulis coagmentantur. Folia pallida, itidem crenata, sed minora et saepe tripartita prosiliunt. Cauliculus crassior et procerior, leviter lanuginosus, adnatisque minutum incisis foliis pinnatus aut rectus in unicum, aut oblique ramulosus, in plures desinit flores; qui laeta quandoque pabuli luxuria, radicisque robusta iuventa, e sinu medio altius impulsu, breve pediculo nitentem, unum alterumve pariter foliosum sese eviscerant in flosculum.

Eum praetera ranunculum nostrates ducunt horti, cuius granosa radix granis paucioribus, quam superior, albidis, rotundis duplo, quam tritica sint, maioribus, in grumulum coalescit. Folia humi repunt ruta simillima, sed herbaceo colore laetiora: caulis gracilis, imbellis atque striatus in palmum adolescit. Eius fastigium flore instar candidi multiplicis ranunculi folioso, grandiore tamen splendidoque, a Martio mense in Aprilem usque flavescit. Flos autem duplex: alter laxiorum foliorum imo ambitu media foliola spississima coronat; alter paulo ampliora proxime superioris mediis foliolis folia, serie pariter densissima, in rotunditatem conglobat.

Alium praelongis, tenuibus diffusisque radicibus inhaerentem solo ranunculum, nostri cultores in pretio habent; cuius folia oblonga, serrata, dura, nervosa, aut

in summis pediculis, aut circum ramulosi caulis alas, in stellas collata, superne fusca, subter diluta, gemino virore pinguntur.

\*\*

### Sint nunc pauca verba de lilio convallium.

Lilium convallium pusilla rotunditate plus odoris quam floris includens, per oras denticulatum et reflexum, toto etiam osculo suavem in habitum oscitans, aut summe albet, aut modice rubet. Palmaris et rigidus caulinus a medio sursum versus pronis flosculis oneratur. Duplex aut etiam triplex folium liliaceis non absimiles brevius tamen splendide viret: graminea radix geniculatis latissime proserpit internodiis: ab iisdem et radicis cacuminibus novas radiculas dispergit.

ANONYMUS.

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

### De nuper natis nominibus latine redendis.

Quotidie, veluti fungi ex praeruptis aestus imbris, nova nascuntur vocabula, quae neque pater Tullius nominavit, neque Livius, neque Sallustius; immo neque Plautus ipse. De recentiore autem latinitate quotannis novum lexicon nobis haud est datum habere. Quid igitur de novis vocabulis latine sentiendum? Matre superior exstabat gnata? Minime gentium. Verbum falli nescium stat, perpetuoque manebit *«non est discipulus super magistrum»*. Lingua enim nostra, lingua primaeva, graecae soror, italicae parens, lingua doctorum, num impar dicendo erit suis verbis, et ea exprimendo gratia et gustu suo quae ab aliis in dies efferuntur? Nullo modo. Namque est linguarum om-

nium ditissima, quae universi colligat populos orbis religionis vinculis atque fidei. Eius foecunditas nunquam destitit: ipsa non timet aetatem neque senectam. Eius natura tantum perscrutanda. Adeamus ergo; viscera enim eius venaeque semper patent studiosis. Quid igitur dictet hodie de nominibus, quae Italice *Automobilismo - Ciclista - Chincaglieria - Linoleum - Bomboniera - Lotteria*, et sim. sciscitemur ab ea; et quid vestrum, o socii et lectores, unusquisque sentiat, aperiat. Labori ergo, calamisque omnes simul demus manus. Salvete.

HERM. M. IACOBELLI.

## PRO IUNIORIBUS

### De secundo bello Punico, quod etiam Hannibalis bellum vocatur.

#### a) De belti causa.

Primo bello Punico exeunte, plurimum apud Carthaginenses valebant gratia optimates, magnarum agrorum possessores et negotiatores, qui pacem optabant. His praeerat Hanno, cognomine Magnus. Sed mercenariorum bello Hamilcar Barcas, vir fortissimus, popularium convalescentum princeps, iterum rei publicae obtinuit principatum. Qui quum imperator declaratus esset et infinita fere uteretur potestate, consilium coepit, quae in Sicilia et in Sardinia essent amissa expugnare in Hispania, et illic bellum parare contra Italiam. Postquam octo annos, idest ab anno ccxxxvii usque ad annum ccxxxix in Hispania Carthaginem bello feliciter protulit imperium, claram mortem oppetiit. Postea imperium delatum est ad eius generum, ad Hasdrubalem, qui novam Carthaginem,

quae urbs nunc Carthagena appellatur, regni Punici fecit caput. Romani autem, quum rem Carthaginem in Hispania timere coepissent, et Hasdrubalem coegerunt sancire, ut flumen Hiberus finis esset Carthaginiensis imperii, et cum Saguntinis, qui trans Hiberum incolunt, fecerunt foedus.

Quum Hasdrubal anno ccxx percussoris cuiusdam sica concidisset, praerogativa militari et populi consensu imperio praefectus est Hannibal, Hamilcaris Barcae maximus natu filius, tum viginti octo annorum adulescens. Hic in castris patris ad rem militarem et ad odium Romanorum educatus, quum sub Hasdrubale, sororis viro, praefuisse equitatui, nunc omnium, quas propinquai comparaverant, copiarum adeptus potestatem, Romanis bellum inferre decrevit, priusquam illi campos circumpadanos, unde eos impugnare vellet, omnes suae facerent dictionis.

Itaque anno ccxix oppugnare coepit Saguntum. Romani, quum Saguntini ab his, quorum essent socii, petiissent auxilium, per legatos flagitant, ut iniuriarum faceret finem. Sed Hannibal, Romanorum intercessione neglecta, post octo mensium obsidionem urbem expugnat. Tum anno ccxviii alii legati missi sunt Carthaginem, qui postulaverunt, ut sibi tradetur Hannibal, et quum illi negassent se hoc facturos, indixere bellum, ut est apud Livium in libro XXI capite XVIII: « Romanus, sinu ex toga facto: -Hic, -inquit, -vobis bellum et pacem portamus; utrum placet sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret, utrum vellet, suclamatum est, et quum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt ».

Hoc autem bellum omnium, quae ab Romanis unquam gesta sunt, fuit gravissimum. Nam decertandum erat, utra natione alteram deleret, utrum inertium atque ad

maiores humanitatem minus idoneorum Semitarum atque Phoenicum gentes, an populi occidentis Graecorum et Romanorum cultu imbuti earum terrarum, quibus mare internum includitur; dominationem obtinerent. Bellum igitur Hannibal, sicut antea expeditiones Xerxis et Alexandri, postea Arabum et Mongolorum et Turcarum in gravissimis illis numerandum est dimicationibus, quibus orientis populi cum populis occidentis contenderunt.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL



## ANNALES

### Bellum Graecos inter atque Turcas. - Ad Mudaniam conventus.

Assentiente Kemal principe, Foederatorum populorum in Europa legati, itemque Graecorum et « nationalistarum » Turcarum, Mudaniam ad urbem convenerunt, ut primum pacis Graecos inter atque Turcas fundamentum ponerent et inducias interim firmarent. Res quidem de plano minime cesserunt, sed tandem hisce terminis compositio facta est: ut scilicet Graecorum copiae quam citissime ad occidentem Maritzae fluminis sese retraherent. Regionem vacuam factam Foederatorum acies occupabunt ad ordinem publicamque securitatem tutanda, donec civilis Turcarum administratio in orientali Thracia fuerit constituta; quod quidem faciendum erit intra mensem a Graecorum migratione. Hoc elapso tempore, et quoad alter conventus, qui de pace erit, et fortasse Lausonii in Helvetia congregabitur, sit duraturus, ipsae Foederatorum acies tan-

tum loca ubi nunc sunt, aliaque nonnulla ad dexteram Maritzae fluminis oram, tenebunt. Non igitur ante pacis foedus ictum Turcae Thraciae dominium habebunt, neque iis licebit antea suos exercitus illuc deducere.

Huiusmodi pactiones, foedus, quod anno MCMXIX Sèvres in Gallicâ urbe sanctum est aliquantum immutabunt; non itaque mirum si Italicus exterorum negotiorum minister Graeco gubernio declaraverit, conventa quae cum eo in sequenti anno intercesserunt, ut Graeciae traderentur insulae Aegei maris, quae ex bello ab Italibz contra Turcas gesto in illorum potestate remanserant, nullius vis ac roboris facta esse.

Graeci autem nunc impotes contra alios, in suos saeviunt, quos recentis cladis autores accusant, ideoque in vincula detrundunt. In hisce Andreas Princeps fuit, et administratorum consilii praeses Calogeropoulos. Constantinus rex mature quidem regnum abdicavit Graeciamque deseruit!...

Alius eversarum rerum effectus fuit abdicio George illius, qui iam diu Anglico gubernio praeverat, quemque sui nullius praesensionis circa Orientales eventus insimularunt. Ei Bonar Law succedit, qui comitia indixit.

\* \*

### Nationum societas.

Nationum societas labores suos prosequuta, mutuum tandem Austriae concessit quingenties et vicies centenorum milium (520.000.000) aurearum coronarum, reliqua ab Austriaco gubernio aerarii oeconomicarumque rerum sanctione legatorum coetui ex foederatis Europae civitatibus, qui Genevae sedem habebit. De Anglorum propositis circa Palaestinam adhuc esse immorandum decrevit.

### Italicae res.

\* \* \*

« Fascistarum » pars, quam alias diximus acriter contra « communistarum » factionem in campum descendisse, tantum favorem adepta est tantumque animum assumpsit, ut ad regendam rem publicam palam appeteret; quod reapse his diebus obtinuit, quum administratorum collegium, cui Aloisius Facta praeverat, a munere suo iterum abdicasset. Eius igitur princeps Benedictus, vulgo Benitus, Mussolini in Factae illius locum successit, cum spe multorum fore ut dissensiones, quae recens ortae erant, tandem aliquando dirimantur, diesque ordinis, tranquillitatis fructuoseque operis affulgeant, quibus indiget Italia, ut proximi belli vulnera, quae licet victrix passa est, sibi sarciat.

\* \* \*

### Varia.

Die xv superioris mensis Octobris in urbe Alba Iulia Ferdinandus Rumenorum rex et Maria eius uxor, quondam Angliae et Hiberniae princeps foemina, sollemni ritu coronati sunt. Regnum die xiv mens. Octobris MCMXIV assumpserunt, quum bellum ignis vehementer flagraret, et sua populi virtute, ipso extinto, Rumenas provincias omnes sub una dictione sua collectas feliciter viderunt, eorumque liberorum Elisabeth filiam, Graeciae reginam, et Mariam, reginam Serborum.

— Italorum rex et regina Belgicam petierunt, salutationem Belgarum regi, qui iam, uti suo tempore nunciavimus, in Italiam venerat, reddituri.

Kal. Novembribus MCMXXII.

POPULICOLA.

*In omni re semper debemus tacite recurrere ad mentem, et interiorem testem ut iudicem requiri.*

S. GREGORIUS.

## VACUI TEMPORIS HORA

Vexata his diebus de domibus est quaestio: licet et recens bellum, et morbi aliaeque huius generis calamitates tot homines necaverint et necent, sumus tamen in orbe nimii, nec tecta sufficiunt.

Sunt autem et nimiae civilium ordinum classes, quae in re difficultates augent: quum, ex adverso, ante Superos simus omnes pares, nonne iidem et sub tecto esse deberemus? His itaque aliisque gravibus cogitationibus motus, Anglicus quidam vir perspicacissimi ingenii studia sua admovit ut humano generi, una, universalis domus compararetur; quorum exitum gaudeo quidem lectoribus meis vobis referre:

Hae igitur aedes sive in longitudinem sive in latitudinem centum et viginti chilometra patebunt; in altitudinem vero ... tria tantum chilometra. Quingentis tabulatis constabunt atque tribus millibus scalarum et octingentis nonaginta; cubiculis autem ... sed arabicis notis numerum eorum, pariterque fenestrarum, exprimamus, ne cerebrum torqueamus. Cubicula 1.500.000.000 erunt, 2.270.000.000 fenestrarum collustrata.

Familia quaevis cubilia quinque occupabit; quisque incola locum sibi habebit triginta metra cubica aequantem: andrones per quinquaginta quattuor chilometra producentur.

Terrae pretio non numerato — profecto terra est omnibus communis — lapideae fabricae impensa erit ... hic vero non solum arabicae notae, sed et vocabulum novum adhibenda sunt: 1875 « miliardorum »; cui miliarda 900 addenda erunt ad aedes instruendas, quae redditum circiter miliardorum centum quotannis praebebunt. — At quisnam eum exiget?

Ne, quæso, id a me poscatis, ... pariterque acutissimi ratiocinatoris domicilium.

\* \* \*

Bernerius ad venationem iterum nos adducit, ad **alaudarum venationem** hodie, cuius ritus his ipsis nostris diebus, Romae saltem, ad amussim servatur, qui suo tempore erat:

Dum tenebras aurora fugat, dum luce remissa  
Fulgent astra, rubens nunciat aurora diem,  
En venatores extra Urbis moenia pergunt,  
Et pedibus celeres arva remota petunt.  
Causa premunt humeros sordenti retia sacco;  
Instrumenta ad opus sic magis apta ferunt.  
Quattuor et baculi vinci prope colla feruntur  
Ad latera, et vivas cistula claudit aves.  
Spes trahit errantes; minuit spes ipsa laborem;  
Sic leve fit pondus, sic via longa, brevis.  
Et tandem inveniunt, ubi tendant retia, cam-

[pos:

Praecipuum quisquis tentat habere locum.  
Saepe altercantur, cum uni sit proximus alter:  
Verba, minaeque sonant, praetereaque nihil.  
Ergo ut quisquis humi disponat retia, saccum  
Deponens aperit, cunctaque clausa trahit.  
Sunt quaedam ex ligno clavorum spicula ad

[instar,

Malleus haec firmat, saepe agitatus, humi.  
Explicit inde celer venator retia; pandit  
Horum apices, baculi parte ab utraque

[trahit.

Sic extensa, parum inter se distantia, et aeque  
Complanata solo retia bina iacent.

Est funis, reliquias qui longior: iste trahentis  
Nomen habens, claudit retia dum trahitur.  
Sunt rectae ac tenues virgæ; has prope retia

[firmant

Infixæ stipulae, fune invante, solo.

Exiguus laqueus virgarum a cuspide pendet,  
Contorta hunc formant fila, brevem, vali-

[dum.

Pes alter volucris, quae *Lauda* est nomine

[dicta,

Aptatur laqueo; hīc proxima sistit humi.

Instar pyramidis lignum est palmarum rotun-

[dum

Cuspide et inverso figitur illud humi.

Estque cavum; hoc implet stipula, haec ver-  
[sabile lignum  
Sustinet, hoc aptum est motibus assiduis.  
Alba superficies est panno tecta rubenti,  
Circum disposita, hunc vitra rotunda, te-  
[gunt.  
Ut funis trahitur, celeri vertigine motus  
Solis ad aspectum lumina multiplicat.  
Providus, implicito glomerata sedilia sacco  
Venator procul a retibus aptat humi.  
Excavat inde sedens terram foveisque dua-  
[bus  
In longum extensem firmat utrumque pe-  
[dem.  
Sibilat, et volucrum modulamina fingit, et  
[illæ  
Accedunt: socias vociferare putant.  
Funiculus trahitur, virgam hic levat, illa vo-  
[lucrem;  
Tunc alas pandens ista coacta, volat.  
Sic socias invita vocat, sic creditur esse  
Libera, dum haec inter vincula clausa ma-

[net.

Venator vitream tunc circumducere molem  
Curat, multiplici haec luce rotata micat.  
Allicitur radiis volucris, lentoque volatu  
Iam circum volitat, mox abit, inde redit.  
Latis et tremulis immoto corpore pennis  
Sistens vitra super, lumine gaudet avis.  
Sibilat ergo sedens magis apte, halitumque

[frequentem

In guttura retrahens murmurat ore sibi.  
Lapsum avis exspectans, oculos vix mobiles

[effert:

Dum discensuram sperat, abire timet.  
Palmarem ut stipulam, quae funi est iuncta

[trahenti,

Fortius impugnet, iungit utramque manum.  
Sibilo at interea volucris decepta vocantis  
Lapsa e sublimi in retia recta ruit.

Brachia, quae primo conatibus apta tetendit  
Venator, retro fert, humerosque simul.

Pes nisum iuvat in foveis bene fixus uterque:

Retia clauduntur tectaque sistit avis.

Praedam capturus surgit venator, ad illam

Currit, quin fertur praecipi similis.

Frustra aditum volucris per plura foramina  
[quaerit,

Hinc, inde educens irrequieta caput.  
Saepius ergo quatit, quas retibus implicet,

[alas:

Sic venatoris praeda fit illa manus.

Frangitur a digitis cervix compressa duobus,

Extendensque pedes Lauda necata iacet.

Retia primaevum en iterum panduntur ad

[usum:

Saepius et factum dein renovatur opus.

Saepe bonae fidei, ac faciles descensui ober-

[rant

Quaedam avium, socias quae mage semper

[amant.

Has noscit, doctusque vocat venator amantes,

Nempe has deceptas absque labore capit.

At quae forte diu Romana per arva vola-

[runt,

Nulla arte et nulla vi capiuntur aves.

Ludunt et saepe illudunt, prope retia quippe

Assiduis volitant motibus, inde abeunt.

Retia sed reliquis avibus quam saepe tra-

[huntur,

Nec semper volucres retia tracta tegunt.

Tunc, - res mira quidem! - si praeda in re-

[tibus exstat,

Festivus, celeri fertur ad illa pede.

Si vero aufugiant volucres, ad retia lento

It pede venator verba nefanda canens.

Interdum volitat Laudarum coetus et una

Cum iam descendat, iam capienda foret.

Retia iam claudit, socias accedere credens,

Optatam praedam multiplicare cupit.

Spes avidum fallit, fuerat quae proxima abivit;

Quae procul, haud unquam se prope ferre

[potest.

Incautus nihil acquirit, dum plurima quaerit;

Sic, quod habet nolens, vult quod habere

[nequit.

Denique venandi finem dat vesperis hora,

Dum sol vicinum pergit ad interitum.

Ordine servato venator retia, funes

Colligit, et sacco haec omnia clausa premit,

Fasciculi in morem baculos componit et aptat

Virgas, circumdat fune humerosque gravat.

Si est plures praedatus aves, it laetus in Ur-  
[bem,

Si paucas, lente ac tristis in ore reddit.  
Usque adeo est hominis lucris intenta vo-

[luntas:

Exiguas, queritur, ni ipse lucretur aves!

Heu miseros! Vilis praedae captamur amore,

Dum lucrum Caeli nobile despiciamus.

Vera homini Caelum, vana offert munera

[Tellus:

Vana sed ille capit; nil miser ergo sapit.

\* \*

### loci

Tuccio aequalis quidam:

— An mihi explanare potes quis sit creditor?

— Papae! Vir est cui semper dicere debemus patrem domo abesse.

Tuccio aegroto amicus, qui eum invi-  
sus adivit:

— Qui morbo laboras, mavis amicorum  
comitatum, an solus manere?

— Malo equidem valetudinem recipere!

\* \*

### Aenigmata

#### I. (vulgo Rebus)

*S piens I E retur retur retur P E retur  
retur retur P E retur retus retur P ti is S  
piens I*

II.

Alo, sustineo, gremio gestabo, terenti  
Meque aspernanti quod tibi do repetam.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: I (vulgo Rebus) *In  
o pem sub leva = Inopem subleva; II)  
Fons-Pons-Sons-Mons.*

IOSFOR.

## LEO IV

17

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

## SCENA II.

CONSTANS.

CONST. Heu! me misellum! plurimis vulneribus  
 Confossum, infero corpus aegerrime...  
 Mihi nam poterat peius quid accidere?  
 Bona salute, summis et honoribus  
 Florebam nuper apud vel Pontificem,  
 Meis sic omnes levi sycophantiis...  
 Perveni ad maximum rerum fastigium...  
 Multum nec abfuit totum qui perversus  
 Eum si pellerem belle in manus hominum,  
 Vel inter pugnam, gladio perimerem...  
 Globus sed iuvenum stipatus lanceis,  
 Stabat circa semper corpus Pontificis;  
 Suis me turbant oculis et terrant.  
 Gravis sic virtus a supernis cecidit,  
 Measque mentis perdidit fallacias.  
 Mori me sentio! Meique socii  
 Et qui fuere milites mendacii,  
 Ab ipsis occidunt adempti civibus.  
 Quae caedes terris, et quae caedes fluens  
 Nitar pro viribus si fas est evadere,  
 Meam modo queam movere infamiam.  
 At, at, quot video venire milites?

## SCENA III.

MILITES AFRI et CONSTANS.

MIL. I. Te tandem, furcifer, tandem te certamen  
 Te flagitorum maximam segetem,  
 Malaeque causam nostrae sortis unicam!

MIL. II. In uno plurimos improbos caedimus  
 [mus]

MIL. III. Peri, descende, vade ad undas Stygias!

MIL. IV. Tuis qui Romam promisisti civibus...

MIL. I. Torques, armillas, amplis cum divitiis...

MIL. III. Ibis concomitans directo ad inferos,

Quicum se tibi praestiterunt stolidi!

(*Hic impetum confertissimi faciunt, ut eum gladiis lanceisque confodiant, sed ex omnibus partibus MILITES ROMANI proripiunt. Tunc AFRI, Romanorum concursu impediti, rapide dilabuntur.*)

I ROM. Adest ignotus patribus vigor novus,  
 Fecit qui nepotes fortes ut veteres  
 Ferant libentius duram militiam.

II ROM. Quis credidisset istoc nostro saeculo?

III ROM. Suo quod Africus fecisset Hannibal,

Nostro quod fecit Gensericus tempore,

Nostri nos oculis vidissemus iterum!...  
 Sed omnes Barbaros fregerunt moenia,

Leo quae fecit, Leo sapientissime.

(*Ad proximum numerum.*)

---

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

---

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VAT CANIS.